

Gottlob Friedrich Seligmann

**Rector Academiae Rostochiensis, Gottlob Fridericus Seligmann/ Metaph. & Phys. Profess. ... Ad ... Exequias Tricae ... Juvenum, Dn. Joh. Francisci, Et Dn. Antonii, Kockertorum, Nec Non Dn. Martini Scheffellii, Wismariensium, Illius Theologiae, horum Iuris Studiosorum ... Nomine Moestissimorum Parentum Abs ... Dn. D. Johanne Bacmeistero, Med. & Math. Super. Prof. Publ. ... paratas, Omnium Ordinum ac Dignitatum Cives Academicos ... invitat : [P. P. Scriptumque ... d. 20. Febr. Ann: M.DC.LXXXIV.]**

Rostochii: Weplingius, [1684]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771570082>


Druck Freier  Zugang





Seligmann, Gottl. Friedr.  
~~Bachmeister, J.,~~

in J. F. Kockert, A. Kockert,  
M. Scheffel.

R. 1684.







C. D!  
RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,  
GOTTLOB FRIDERICUS  
Seligmann/

Metaph. & Phyl. Prof. Facult. Philol. Decan. Templi Cathedr.  
ap. Lipsienf. adhuc Ducalis Collegiatus,



Ad

OBSEMNISSIMAS EXEQUIAS  
quondam FLORENTISSIMÆ  
nunc heu! desideratissimæ,  
hominum Præeximiorumq; JUVENUM,

DN. JOH. FRANCISCI,  
ET  
DN. ANTONII,  
KOCKERTORUM,  
NEC NON

DN. MARTINI  
SCHEFFELII, VVISMARIENSIIUM,  
Illius Theologiæ, horum, Juris STUDIOSORUM  
OPTIMORUM,

NOMINE MOESTISSIMORUM PARENTUM ABS  
EXCELLENTISSIMO COLLEGA,

*VIRO Nobilissimo, Experientissimo, atq; Amplissimo*

DN. D. JOHANNES BACMEISTERO,

Med. & Math. Super. Prof. Publ. Facult. Medic,  
Seniore, &c. &c.

Piè decentissimequè paratas,

*Omnium Ordinum ac Dignitatum CIVES ACADEMICOS, quò fas est,  
humanitate ac studio invitat.*

ROSTOCHII, Pælo WEPLINGIANO, Universi. Typogr.



Eqve verò etiamnum cala-  
num licet deponere, quem  
ntra breve tempus jam  
TERTIUM ut arripiam,  
TRISTIA satis FATA ju-  
bent. Quamquam enim, quod  
publ. hic testari possum, ea,  
per Dei gratiam, conditio nostra non est, ut cumu-  
lata quotidiè exequias paremus, qui aliquot gavi-  
si hactenus diebus sumus, sine funeribus, sine exe-  
quiis; præter LEMBKENIÆ tamen ac REDEKE-  
RIÆ indicta proxime FUNERA, TRES etiam E-  
jusdem Patriæ Florisq; imò ex parte sanguinis E-  
jusdem, STUDIOSI Nobilissimi (heu!) solennis-  
simam abs ALMA MATRE ACADEMIA, Uni-  
versisque CIVIBUS, TER Optimo PATRE  
sic disponente, LUCTUM hæc luce sollicitant.  
Incidit, ubi HORUM Honori ultimo nonnulla me-  
mor, Symbolum illud, quod Anglicis Balnei  
Eqvit.

Equiribus, insignis locò tres Coronas Aurèas in  
 orbicello aureo expressas gerentibus, tributum  
 lego, refertque, **TRIA IN UNUM JUNCTA**  
*(vid. Becmann. Notit. Dignitat. Illustr. tum Dissertat.*  
*V. c. 1. §. 7. tum & præcipue quidem Dissertat.*  
*XVI. §. 5.)* Poterat vix commodius quidquam  
 subvenire, quò totum hoc & **LUCTUS & SO-**  
**LATI** Negotium rectissime conficeretur. Nam  
 etiam Vobis hodiè **TRIA IN UNUM JUNCTA,**  
**CIVES** honoratissimi, æstimatissimi, sistimus. Ha-  
 bet encomia sua Numerus hic **TRINUNI DEO,** ho-  
 minibusque, in **TRINO** agnoscentibus perfe-  
 ctionem, gratissimus. **TRIS,** inquit celeberrimus  
**ARNOLDUS,** Noricorum in Argutiis Decus,  
*in Epigraph. Trin viratui Fureriano sacrâ,* **TRIS NU-**  
**MERUS** SUPER OMNIA, primusque omnium  
 numerorum perfectissimus est: Initium medium &  
 finem habet, centrum Medietatis ad initium finem-  
 que aequalitate componens interstitiorum. Omne  
 & omnia determinata sunt tribus, binctria sunt o-  
 mnia, nec est alia magnitudo -- Ter libabant, ter sa-  
 crificabant, qui preces suas à DEO petebant perfici;  
 Consulturi sortes ter solebant tollere. Lex Gra-  
 corum sanxit, ut sanctas res secundùm tria facerent;  
 stato & mense & die & anno. Revera hic nume-  
 rus Sacer est. Et quid ni Sacer sit, quò scimus  
**TESTIUM** & in cœlis & in terris numerum absolvi?



TRES Viros in igne salvos miramur; Dominam  
die TER TIAResurgentem veneramus; portarum,  
queis undiqvaq; instructa Hierosolyma Coelestis  
& exornataest, reperitum toties TERNARIVM  
aspiramus. Dulce animis, dulce oculis, dulce au-  
ribus, quod TRINVMest. Pythagoræis pruden-  
tia vocabatur *Ternarius* & Sapiencia; hanc enim  
utramque ex præteritis per experientiam acci-  
piunt homines; quam dein præsentibus dirigen-  
dis & futuris prospiciendis demonstrant (*Conf:  
aliquat. ad hanc rem Augustin: Conf. LXI. c. XIV.*)  
Superbit TERNARIO suo Liliorum, Gallia, quem  
non ita pridem elegantissime Ambrunensis respe-  
xit Episcopus, cum de TRIBVS, Nativitate, Vir-  
tute & Fortunâ, Regi, utpote ex his felicissimo,  
gratularetur. Delectatur suo Coronarû TERNA-  
RIO Svecia, sive is, Olao Magno iudice, dominio-  
rum Amplitudinem, egregia militiæ Domi foris-  
que gesta & metallorum ubertatem significet, s.  
Messenio interprete, Upsaliam Regum olim se-  
dem, tanquam trium etiam eminentium rerum  
Religionis, Regiæ aulæ & justitiæ sedē commen-  
det (*vid. Loccen. Antiq. Sveogoth: L. II. c. II.*) Certè  
in earum recognitionem tres Upsaliæ veteris  
Colles aut Tumulos, ceteris editiores, in quibus  
Regum Sveciæ Cineres & Ossa servantur seorsim  
erectos volunt (*notante Berman: c. I. Diss. VI. c. III.*  
§ 9.)

S. 9.). Et lætatum quoque suo scipionum TERNARIO  
Alexandrum VI. Pontificem fuisse novimus, quod Fide,  
spe & Charitate, Triga Christianissimâ, ad Coronam per-  
venisse & Dignitatem istam videri vellet (*vid. Dodo Ri-  
chea in Theatr. Fun. sc. p. 56.*) Laudat antiquitas tres Ho-  
ratos ac Curiatios, angusto hoc numero innumera di-  
rimentes litigia: Evehit tres Gratas & in Aglajâ pul-  
chrum nitorem, in Euphrosyne lætitiâ, in Thalia sandi  
Ieporem, dum conjunctas evehit, conjunctim extollit;  
Symbolumq; præbet, quod additum picturis lemma est:

• pulcerrima forma,  
Cæstus honos, risusq; bilares & gratia sandi.

(*vid. Eman. Thesaur. Inscr. p. 139.*) Sic, TRIS NU-  
MERUS SUPER OMNIA; qui sacer, qui prudentiæ si-  
gnum, qui gloriæ, qui amœnitatis indicium est; Sic  
TRIA IN UNUM JUNCTA suis non carent en-  
comiis. Utinam verò talia exhibere impræsentiarum,  
possemus, quibus, si ita loqui inter Christianos fas est,  
peperissent Tres in ordine Parçæ; quæ & nostris conspi-  
cienda ulterius oculis ex votò relinquerentur! Uti-  
nam, si calamum non liceret deponere, talia tamen  
scribenda essent, quibus optatum omnes nobiscum cole-  
rent TERNARIUM! Sed enim aliter visum DEO No-  
stro. Huc vultus vertite Vestros, O CIVES Incluti, vi-  
debitis TRIA in unum hodiè, sed eò mœstiozem, LU-  
CTUM NOSTRUM heu! insperatò JUNCTA. Cupi-  
tis distinctius fortasse intueri, ac quænam illa Tria, quis-  
ve Eorum splendor, quæ conjunctio sit curatius per nos-  
scere? Obsequar desiderio, utque obsequi possim  
aptius, simulacrorum faciam mentionem, quæ in-  
ter publicas Principum exceptiones, Christianæ, ut

ipse vocat, Alexandræ, Svæcorum Regina, apud Emanu-  
elem Thesaurum dicata reperies (*Inscr. p. 95.*). Præsenta-  
tas ibi cernes tres aureas Coronas invicem nexas, cum  
dicto: *Mens sufficit una*; videbis Cychnum intra Ole-  
agineam Corollam, cum Horatiano dicto: *Docto-  
rum premia fontium*; Obferet se Tibi Jovis Ales in  
laureâ Corollâ fulmineam complexa facem, cum Luea-  
ni dicto: *Non unis parta Triumphis; Spectabis deniqve,  
Armenium, pruditorum voce, Murem, tanquam  
perpetuum mundiciæ cultorem*, cum Horatii dicto:  
*Intaminatis fulget honoribus. Qvis Majestatis Nitor,  
qvæ gloria Sapientiæ; qvod laudum bellicarum decus,  
ac pudicitia elogium his inmutatur, nos jam non attinet,  
multis inquirere, qvi ad Pancalburn, horum omniû (c.l.)  
interpretem, facile talia scire cupidum ablegare possu-  
mus. Memorare verò eâ fini ista libuit, ut Bonam  
in Beatissimis Nostris mentem, & non simulatâ sapientiæ  
studium, vitæqve sanctioris ardorem ac victoriosum tan-  
dem triumphum, his velut sub emblematis, paucis  
liet verbis, adumbrare VOBIS, CIVES honoratissi-  
mi, qveamus' Adeste igitur, ut contemplari TRIA NO-  
STRA FUNERA in UNUM JUNCTA, sed pungentissi-  
mum, luctum, studiosius possitis. Exhibeo Binos KOC-  
KERTOS, Fratres Germanos, proximoqve proin jun-  
ctos sanguine; adjungo unum SCHEFFELIUM, Patriâ  
ipsis, qvæ vicina Wismar. urbs Celeberrima est, amicitia-  
âq; singulari junctum. Et annos quoqve ætatis si confer-  
re iuberet, ac qvoad hos qvâ sibi convenient videre, Nati-  
vitat, Annum KOCKERTO alteri eundem cum SCHEF-  
FELLIO esse; hoc tamen cum discrimine, advertes, ut il-  
lū duobus saltem hic anteciat Diebus. Natus enim Dn. JO-  
HAN-*

HANNES FRANCISCUS KOCKERTUS, Anno MDC  
LXII. d. 25. Novembr. DN. ANTONIUS KOCKER-  
TUS Anno MDCLXIV. d. 28. April. DN. MARTI-  
NUS **Scheffel** / An. MDC. LXII. d. 23. Novembr.  
& quisque eorum non longè à nativitate renatus, Do-  
minoque vitæ per salutare Baptismi Sacramentum obla-  
tus est. PARENTES KOCKERTI habuerunt, Virum  
de Ecclesiâ, quæ Salvatori Wismariæ colligitur, bene-  
merentissimum, Pl. Reverendum Amplissimamque  
DN. M. JOACHIMUM KOCKERTUM, ad Æd. S.  
Georgii per XXIV. ann. Ecclesiasten fidelissimum, vigi-  
lantissimum: & Fœminam à Virtutibus, sexum mulie-  
brem optimè ornantibus, longè Commendatissimam,  
DOROTHEAM BAUMANNIAM; hodiè ex infir-  
mitate corporis affixam lecto: utrosque inopinam Fili-  
orum tam proborum, jamque ad spem amplam adul-  
torum, mortem acerbissime lugentes. SCHEFFELIUS  
autem PATRI Vitam debet Nobilissimo ac Consultiss.  
VIRO, DN. MARTINO **Scheffel** / Summi REG.  
SVECIÆ Tribunalis, quod Wismariæ viget, per trigin-  
ta & unum annos, Registratori laudatissimo, meritissi-  
mo; MATRI vero omni encomio dignissimæ, SO-  
PHIÆ **Manzen** / per annos quam plurimos prob! dolor  
Clinicæ, nunquam tamen inclinatæ, Constantiæ proin-  
exemplo hactenus patientiæq; speculo; sed nunc jacturâ  
Filii svavissimi cum æstimatissimo Marito, nuperrimâ So-  
roris morte jam tum non parum consternato, vehe-  
mentissime fauciata. Medeat & Illis & his dextra  
Omnipotentis Archiatri; suamque in hoc justissimo  
dolore benevolentiam utrisque demonstret! Sed ad A-  
VOS quoque respiciendam est; & KOCKERTIS qui-  
dem

dem PATERNUM fuisse AVUM scimus, integerrimum,  
solertissimumq; VIRUM, JOACHIMUM KOCKER-  
TUM, Civem Wisuariens. fulgidiss. Chirurgorumqve  
ibi primarium ac Seniore; AVIAMq; PATERNAM  
Matronam laudatissimam, MARIAM Warnowen.  
AVUM MATERNUM, VIRUM Amplissimum & Pru-  
dentissimum, DN. MICHAELEM BAUMANNUM,  
Reipubl. Wismar. Senatorem præclarissimè meritum;  
AVIAMq; MATERNAM Feminam Optimi exempli,  
EMERENTIAM Darguns. SCHEFFELHUS, verò  
agnovit PATERNUM AVUM, VIRUM Spectatissi-  
mum, HENRICUM Scheffel/ Civem & Oenopo-  
lam Wisuariensem è præcipuis; atqve AVIAM PA-  
TERNAM, Matronam, nullis sexus sui virtutibus  
non eminentem, ANNAM Lindenbergis. A-  
VUM autem PATERNUM, Præ-Eximum Doctissi-  
mumqve VIRUM, DN. HENRICUM RANTZE, Civem  
honoratissimum, Zythopœum, totiusqve populi Wis-  
uariensis prudentem ingeniosissimumqve Oratorem;  
atqve AVIAM MATERNAM laudatissimam Femi-  
nam, ANNAM Ropers. Hæc est origo TRIGÆ Nostræ.  
His Majoribus ingressum in hunc Orbem Ipsa debuit  
Tàm Præcellentium PARENTUM curâ & sollicitudi-  
ne prima BONÆ MENTIS Cultura tentata ac feli-  
citer suscepta fuit. KOCKERTI nim. utriusqve tenerior  
ætas, firmioris præsaga, ad omnem certè pietatem  
se compositam semper ostendit: Nec, s. Scholæ publicæ,  
s. privatis ut plurimum Magistris, VIRIS Juvenibus, A-  
cademicâ Eruditione ac doctrinâ præstantibus, creden-  
tur, conceptam de se Pl. Rever. DN. PARENTIS spem  
sefellerunt unquam, *Et Conjugemus* hic quoqve me-  
ritò

ritò TERTIUM Nostrum, SCHEFFELIUM, qui sparsa abs providis PARENTIBUS florentioris Probitatis specimen, avidè confestim excepit, ac fructum, sanè melitissimum, haud vanè pollicitus est. Neque poterant tamen hujus PARENTES honoratissimi vel in primitiis ætatis Filiolum hunc suum absque mœstitiâ omni ac sollicitudine ad ulteriora provehere: cum, quarto forte anno, adeò letaliter decumberet, ut, ubi restitueretur, de Ipsò noviter quasi Cœlitusq; donato gauderent. Nimirum voluit supremus Rerum arbiter, Matrem tot corporis orbendam viribus, tam dulci splendida in amœnissimo Filiolo virtutis præsentia refocillare. Eòq; factum est, ut jactis in literaria Palæstra sub Præ-Eximio Claroqve Viro DN. ANDREA PAULI, Scholæ Wismariensis Sub-Rectore, continuatisqve sub Clarissimis Præcellentissimogve VIRIS, DN. MICHAELE FREUDIO, Con-Rectore, & DN. URBANO LEHMANNO, RECTORE, Fundamentis, postquam illi per annum jam jam heic substitissent & hic ante annum huc ablegari cum laude potuerit. Sic verò diversis quidem temporibus accessit TRIGA Nostra ad Rosetum Nostrum; Sed pariter ab Artibus lingvisqve, Novo Academico perquam necessariis, instructissima. Unde & id egit eò felicius, omni studio conatuqve omni, cujus gratia ad Nos ire iussa erat, ut, quod cœptum benè alibi, curiosus hic perficeret. Domo autem uti, fruiq; Mensâ B. DN. M. JOACHIMI ROPERTI, Scholæ hujus Oppidanæ per multos annos Sub-Rectoris nuperq; ante B. obitum vocati Conrectoris, voluit; cujus etiam, dum viveret, amorem planè singularem quotidiè experta fuit. Ceterum, ex eò confestim tempore, quò Matrícula

B

trícula

triculae Academicæ Nomen dederat, immensum in ho-  
ris ritè collocandis ardorem Nobis omnibus conspici-  
endum ac deprædicandum dabat. Placebant enim BEA-  
TISSIMIS Nostri, unò tùm amicitia vinculo, uti nunc  
exequiarum solennitate junctis, Lectiones, quibus fre-  
quentissimi intererant, publicæ; placebant privatae.  
& in Philosophicis quidem Informatorem sibi selige-  
bant Præcellentem & Clm. Virum, DN. M. ROS-  
TEUSCHERUM; inque Ethicis SCHEFFELIUS præci-  
pue Præ Clm. quoque ac Eruditissimum VIRUM, DN. M.  
GROSGBAUERUM fidelem inveniebat Manucto-  
rem. At, ad altiora quandoquidem procedendum vi-  
debatur, animum adplicabat ad studium Theologicum,  
DN. JOHANNES FRANCISCUS; isque ab ore in primis  
Reverendi Maximè Excellentissimi que DOCTORIS &  
PROFESSORIS THEOLOGI, nec non Consistorij Du-  
calis Assessoris ac Diœceseos Mecklenburg. Superin-  
tendentis, DN. JUSTI CHRISTOPHORI SCHO-  
MERI, Viri de Ecclesiâ Jesu Christi universâ, nostrâque;  
Academ. immortaliter merentis, totus pendebat. Neq;  
minus in favorem MAGNI Nostri VARENI (cujus Sen-  
nectutem abs corporis animique incommodis liberam  
esse diutissime vegetamque jubeat æternum Numen!),  
uti cupijt, admissus, numero Clm. in Synoptico Con-  
troversiarum Collegio Respondentium nuper adscribe-  
batur. Quò autem cum fructurem omnem tractaverit  
docere varia possunt, quæ disputando, Præs: prælaudat.  
DN. M. ROSTEUSCHERO de SUBSISTENTIA, ex Cathedra  
Academicâ; ex Ecclesiasticâ Concionando, cum  
adplausu edidit specimina, quibus & Excellentissimo-  
rum Professorum & Reverendorum V. D. Ministrorum  
propetit

propensum sibi Amorem atque gratiam ex merito conciliavit. Sed Jurisprudentiæ DN. ANTONIUS nava-  
bat operam; atque ut eò promptior in cunctis eloquen-  
dis esset, quibus non raro distinentur etiam JCTi, in O-  
ratoriis profanis Eidem, ut Fratri modò commendatò  
in sacris, Nostrâ quoque qualicunque institutione uti  
visum fuit, & quantum judicare semper potui, non,  
absque prospero successu. Interim, quò primarius  
ipsum Scopus efficacissimè vocabat, id dirigentibus No-  
bilissimis, Consultissimis Amplissimisque VIRIS,  
DN. JACOBO LEMKENIO, & DN. CHRISTOPHORO  
REDEKERO, JCTis & Antecessoribus (quibus, ut vice  
plus simplici precati hactenus sumus, suo adesse solatio,  
Deus Ter Opt. velit) longè Clarissimis, faustissimè inchoa-  
tum, eòque tenus hac provectum est, ut TANTORUM, si vis-  
xisset, VIRORUM Genuinum Discipulū se venditare po-  
tuisset. Cumque hoc Paria, ut aspiravit, ita fecit DN MARTI-  
NUS noster, paria indepturus, nō subsistendum hic in  
vegetò laudabiliq; curriculo Ipsi, quin toti TRIGENO  
stræ, ex Ejo, à quò omnia sunt, Consiliò fuisset. Quid enim  
moror diu, quæ proferenda deniq; sunt? Dico paucis  
quod prolixum post se trahit mœrorem. Quos in vitâ  
Wisimariæ, quos in amicitia Academicâ hic Rostochii  
quos in studiis utrobique junctos & quoad industriam  
ac pietatem verissimè comparandos vidistis, aspexistis  
usque huc, nunc in morte non multum sejunctos, in  
exequiis conjunctos aspiciat! Superfedeo omnibus vir-  
tutibus sigillatim enumerandis, quæ purior abs vani-  
tatis mundi deditusque Deo animus splendidissimè eni-  
tuit. Nam dum ad ea tendendum est, quæ vehe-  
mentissimum dolorem Cuique Nostrum injungunt, vix  
ipse temperare mihi à lacrimis possum, si illas medi-  
tari saltem, nedum, si scribere incipiam. Vos ipsi  
nostris



nōstis, (quos DEUS Vestris & PARENTIBUS ET CON-  
SANGUINEIS, AMICISQUE conservet vigentissimos  
Vos, inquam, nōstis ipsi) STUDIOSSIMI Juve-  
nes, Nostræ delitiæ, quâ humanitate, quô compla-  
cendi studio, quâ officiorum promptitudine mo-  
rumque honestate Vestrum quemlibet Beatissimi No-  
stri sibi devinxerint atque obstrinxerint. Verissima-  
scripsero, si haud cum quôquam Vestrum unquam redi-  
isse ipsos in gratiam, utpote quam semper habebant inte-  
gram, asseruero. Sed nec ætati mors parcat, nec virtu-  
ti. Secessit ex oculis, non secedet ex animis TRI-  
GA Nostra; secessit; nec ad Nostras revertetur, quas  
cum Beatissimis nuper beatissime commutavit. Ah!  
TRIA hodiè FUNERA intimamus; quid Musis Nostris  
luctuosius? Historia mortis TRIUM è civibus Nostris  
unum (uti relata nobis fuit) redacta in compendium ita  
habet. Fit forrè, ut languore quôdam insolito nonnihil  
affectum se sentiat DN. JOH. FRANCISCUS KOCKER-  
TUS. Consilium igitur cum Fratre, DN. ANTONIO,  
& cive Conjunctissimò DN. MARTINO SCHEFFE-  
LIO (nam erat *tribus* his in corporibus mensura) de ex-  
orando DEO, tranquillandâq; per S. Synaxeos usum  
mente optimum inie, atque saluberrimum. Nec mora;  
Excitantur simul hoc dulcissimo Epulo II. post Epiphan-  
Domini Dominicâ. Sed vix octiduum labitur, cum  
media inter sveta studia redit langvor iste, latentemque  
in corpote hospitem prodit, febrim satis acrem ma-  
gnâque vires ejus cum vehementia maxime prosternen-  
tem. Quid ad hæc Frater? Junctum se qualibet in-  
fortunâ Suo JOHANNI FRANCISCO demonstrat AN-  
TONIUS. Adest dies XXVIII. Januar; cum & hic ipse  
ex improvîso ardente morbo correptum se advertit.  
Et, ô quam memorabile vinculum! Eodem die etiam  
TEA

TERTIUS Noster de magnâ omnium Membrorum ægritudine conqueri incipit. Res mira & nostris hodiè lamentis & ploribus dignissima! Mira tamen magis eadem fere omnium ad mortem preparatio. Vix, haud superaturû se vim morbi, intelligens JOHANNES FRANCISCUS, confestim accersi cupit honoratiff. DN. Confessionarum S. VIRUM Plur. Rever. Amplissimumq; DN. M. JOHAN. MAURITIUM POLZIUM, Collegam N. æstimatiff. deqve iteratâ forsitan sanctissimi Numinis offensâ sollicitus, ut denuô sacrâ animam ἀποπνῆ pascat, devotô cum desiderio, ab Eô contendit. Neqve alia petunt reliqui. Sed quis animos eloqvetur, quos verô illô unicoqve Viatico muniti sumpsere Nostri BEATISSIMI. Certe nil, nisi magnam de omnibus fiduciam, lætumq; quô SALVATORI optimo promptissimi ire obviam cogitassent, animam commemorare valet, Eorum quoties meminit, venerabilis laudatusqve modo DN. Confessionarius, cujus dexteritas fidelitasq; summa, quâ fovit, erexit, jûvit TRIGAM Nostram, merita omnino est, ut publ. deprædicetur atqve extollatur. Neqve Medici Experientissimi, VIRI Nobiliff. Amplissimiqve DN. JOHANNIS BACMEISTERI, Doctoris & Prof. Publ. Excellentiff. Facultat. Med. Senioris &c. DN. Fautoris, Collegæ & Amici honoratissimi, Curatoris hodiernarum Exequiarum solertissimi, singularis plane cura ac industria sileri valent; utpote quem noctes diesqve decumbentibus præstô fuisse, quem item Mortui ne negligerentur maximo cum labore studuisse, penes nos omnes in confessô est. Ne nunc alios nominemus plures, quorû, ut agnoscitur benevola promptitudo, ita hic brevi quidè scripturâ, prolixô tñ. affectu actas legit gratias. Uniq; dememinisse omnino non possumus, PræEximij Theol. Studiosi, DN. JOH. REIMARI; terè ad secessum usqve

usq; Ipsum, B. Köckertis & Scheffelio N. constantissimè ad-  
sistentis Repenset. Deus hoc bonum factum longævâ vi-  
tâ, omniqve gratiâ. Istud est votum Nostrum: Qvod ex-  
audiet maximus vitæ mortisqve Dominus & optimus  
factorum Moderator! Largiatur Bona omnia, qvi TRIGÆ  
SUÆ largitus est Bonū ex hâc vitâ egressum. Scilicet, ex-  
cessit KOCKERTUS, Major natu, ultimo die Januar. circa  
nonam vespertinam; Minor verò cum SCHEFFELIO d.  
7. Febr. & hic quidem circa matut sept. postqvam præter  
svavisimos PARENTES, Sorori & Fratri supersticibus,  
millies hęc charissima nomina repetens, millies valedi-  
xisset; ille verò, non minus ac Natu Major Suis sub exi-  
tum fausta quælibet precatus, circa undecimam vespert.  
hinc abiit. Tam subito studiorum cursu consummato, ad Celestem  
evecti Academiam in sinu Abrahæ quietissimè recumbunt, frun-  
turqve iis, quæ nec auris audivit, nec oculus vidit, nec cor huma-  
num ullum penetravit. O Bene ipsis ac æternū bene! quibus  
ista Felicitas perpetuis in Christo Triumphis venit; hinc verè inta-  
minatis fulgent honoribus, Coronati abs Redemptore gaudiis &  
latitiâ. At ô quam malè nobis, qvi UNO hoc Die TRINA hęc  
deslere FUNERA jubemur, quibuscum Magna Posteritatis Spes  
suas simul celebrari exequias expetit. Non est, cur TRINAM  
Mularum TRIGAM in lacrymas Nostras vocemus; videmus Vos  
Nobiscum omnes has fundere copiosius, ubi PARENTES Wisma-  
riæ moerentes hinc Nobiscum quoqve respicitis. Hærerem Ipse-  
ni cum THEOLOGO, per tot annos probè Probato ac Exercitato,  
ni cum Jcto, summi Domini voluntatem agnoscente, mihi res esset.  
Permittes igitur KOCKERTE Rever. Pl. ut quæ ex ore Tuo alias pro-  
fluxerunt solatia, luctibus aliorum proficua, Tuo jam dolori, non  
quasi nova, sed ut abs Condolenti pectore repetita, suggeram. Do-  
cuerunt illa, quod Deum qui habeat, habeat omnia; Eundem s.  
daret, s. auferret ex toto Corde Amandum. Multa, quæ supra  
humana vires videantur, esse infra Christianorum Patientiam.  
Requiri, ut Posteritas animi Magnitudinem novo exemplo confir-  
matam spectaret: Non excessisse, sed præcessisse Capita Amantiss-  
sima

*Anna*, Inde in spe ac Constantiâ Optimam extare *Victoriam*.  
Quid addam ego? Nihil superest, Vir Venerabilis, nisi ut expri-  
mas Tuis actionibus, quod recommendasti Sermonibus; ut,  
quàm fortes aii in suo luctu esse debeant, Tuâ fortitudine in de-  
plorandis Tuis demonstras. Permittes & Tu, SCHEFFELI Consul-  
tissime, ut ad *Philosophiam* penes Te provocem veram & non simu-  
latam, quæ quid rectè meditari aut pervolvere potest, quàm piam in  
omnibus æquanimitatem? Hæc verò leniet dolores Tuos; Hæc Fi-  
lii insinuabit ad meliora translati beatitudinem; hæc superatas sup-  
peditabit tot hujus mundi injurias; quibus nos miseri adhuc expositi  
sumus: dumque talia menti sistet Tuæ, Te quoque ad paratissi-  
mum in hoc luctu specimen excitabit. Permittetis Ultrique, ut in  
Tristitiâ Vos meritò lætos esse jubeam, quia Beati estis. Vox enim Sal-  
vatoris est: *Beati Lugentes: quoniam illi Consolationem indipi-  
entur*. Nolite flere; custoditi sunt Vestri à Deo in fasciculo viventium  
O sufficiat Vobis, vivere JOHANNES FRANCISCOS ANTONI-  
OS, MARTINOS vestros, vivere & in summis exultare honoribus.  
Redeo, dum hæc scribo, ad TERNARIUM, idque in mentem  
mihi revoco, quod de Metello Valerius habet Maxim. (*L. VII. C. l.  
m.*) *Fecisse fortunam ut eodem tempore tres filios Consulares, unum  
etiam censorium ac triumphalem* . . . *videret*. In duobus  
hodiè PARENTIBUS excellentiori longè modo contemplamur,  
quod hic in unò Metello mirata est antiquitas. Vos illi estis,  
ô Mœstissimi; Filii vestri ultra omnem nunc triumphant Con-  
sulare dignitatem, ultra omnem processere hujus mundi hono-  
rum apicem. Rarò exemplo, antè decennium ferme, Theolo-  
gus summus, DN JOHANNES OLEARIUS, eodem die tres Fi-  
lios Superintendentes Jenæ Doctores Theologos renunciari vi-  
dit. Sed hodiè Vestros, O Tristissimi, Filios æterni, qui iustitiæ  
Doctorum est, splendoris faustos spectatores, imo possessores  
meritò pronunciamus, Judicate ipsi, quis honor horum sit emi-  
nentior? O inferat vestris hæc solatia animis, SOLAMEN Nostrium  
unicum DEUS! addat vobis, quos eripuit Filiis, annos, fervet  
reliqua TRINUNUS DEUS pignora; inque tergemina post TRI-  
NUM hunc luctum felicitatem ipse erigat! Subscribe Nostris his  
precibus, PATER OPTIME! da, quò delectari possint concussæ  
animæ

omnium animi CURIFUGIUM (vid. *Tbesaur.* p. 261.); hoc abs  
Te expectamus, Tu nos haud deserēs. Et hęc spē freti ad Exe-  
quias licet luctuosas, promptissimi tamen confluiamus. Adeste,  
CIVES, frequentissimi; Id debitus nostrę TRIGÆ honor ultimus  
requirit; Id MATRIS Almę Amor & cura postulat; Id cuilibet  
suę pietas imperat. Adeste, Conveniemus in Jacobę Cathedral,  
Templó hor. i.

Sed nec Vos, BEATISSIMI, sine quodam, utut festinato,  
pió tamen monumento dimittere ex aspectu nostró terręque con-  
siderare visum est.

En

*Tres hic Juvenes verè unanimes!*

KOCKERTOS DUOS, UNUM SCHEFFELIUM.

Illos, Patre, Templi; Hunc, Curię Sacerdote, Natum,  
Illorú alter JOHANNES FRANCISCVS venerandi Patris premens vestigia,

Anteivit Patrem, quó debuit duci Filius;

Alter ANTONIVS, Fratri Socius,

Jura Mundi cępit ah! quám imperfecta;

Sed cęli possidet æternum perfectissima.

Neque hic, PATRI suo Cognominis, MARTINVS,

deserere ipsum deserentes,

Aut ut rectius loqvar, in deserendo post se trahentes, potuit.

Promptè secutus est viam, quam præijt primus,

eamq; monstravit secundo.

Eò factum,

Ut Tria ingentia Duum Virum gaudia hic videas,

At & totidem ingentes dolores,

Tu qui hęc legis,

Orbi præreptos, dolo; sed cęlo reddiros, gaude: precare.

Ut TRINIVS DEVS TRINO dolori

TER TRINVM substituat gaudium!


Abi,

et disce unanimitatem colere!

P. P. Scriptumque defatigatá ferè manu inter labores con-  
catenatos d. 20. Febr. Ann. M. DC. LXXXIV.







GUSTAV KOCH  
Buchbinderei  
ROSTOCK.





S. 9.). Et latatum quoque suo seip  
Alexandrum VI. Pontificem fuisse  
spe & Charitate, Triga Christianis in  
venisse & Dignitatem istam videri v  
*chea in Theatr. Fun. sc. p. 56.*) Laudat  
rarios ac Curiatios, angusto hoc nu  
rimentes litigia: Evehit tres Gra  
chrum nitorem, in Euphrosyne latio  
leporem, dum conjunctas evehit, o  
Symbolumq; præbet, quod additum

Castus honos, risusq; bilares

(*vid. Eman. Thesaur. Inscr. p. 139.*)

MERUS SUPER OMNIA; qui sac  
gnum, qui gloria, qui amœnitatis  
TRIA IN UNUM JUNCTA  
comiis. Utinam verò talia exhibe  
possemus, quibus, si ita loqui inter  
pepercissent *Tres* in ordine Parçæ; q  
cienda ulterius oculis ex votò reli  
nam, si calamum non liceret depon  
scribenda essent, quibus optatum or  
rent TERNARIUM! Sed enim al  
stro. Huc vultus vertite Vestros, O  
debitis TRIA in unum hodiè, sed  
CTUM NOSTRUM heu! inspera  
tis distinctius fortasse intueri, ac qua  
ve Eorum splendor, quæ conjunctio  
scere? Obsequar desiderio, ut qu  
aptius, simulacrorum faciam me  
ter publicas Principum exceptione

A3

the scale towards document

NARIO

od Fide,

am per-

Dodo Ri-

es Ho-

nera di-

ajâ pul-

ia fandi

xtollit;

ma est:

Li.

IS NU-

entia si-

; Sic

ent en-

iarum,

fas est,

conspi-

! Uti-

tamen

im cole-

EO No-

luti, vi-

em, LU-

. Cupi-

ia, quis-

per nos

possim-

quæ in-

na, ut

ipse

